



**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

§. 12. Sanctus Augustinus in libris Retractationum nihil abs se de divinâ
gratiâ assertum in libris contrâ Pelagianos scriptis expunxit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

S. XII.

Sanctus Augustinus in libris Retractionum nihil abs se de divinâ gratiâ assertum in libris contra Pelagianos scriptis expunxit.

HOs Augustino errores Adamus, ac Moraines obijciunt, sed vano prorsus eventu; nam eo improbo labore non Hipponensis Præfulis famam, vel auctoritatem decurtarunt, sed quàm maximè promoverunt. Quis autem initio causæ non fuisset veritus, ne Augustinus in ducentis, & amplius libris, quos edidit, in tot Epistolis, quas publicavit, in innumeris concionibus, quas ad populum habuit, in tot commentariis, ac quæstionibus, quibus sacras literas explicuit, à rigidioribus hisce censoribus alicujus errati reus teneretur, cum vel bonum ipsum Homerum quandoque dormire in adagiis sit? Neque enim omnia dicta illi licuit pendere; aliquoties etiam scripsit animo distracto, ac calamo ad alia properante. Adjice immensam illam hæresum sylvam, cui excindendæ, ac comburendæ unus & securim, & facem Augustinus admovit. Nunc enim Manichæi, modò Arriani confutandi erant; nunc in Donatistas scribendum, statim contra Pelagianos eundem; sæpè simul omnes improbandi; neque hoc quidem commodè fieri poterat ob innumeras tum voce, tum per literas & peritas, & subindè datas consultationes. Haud in nonum annum volumina premere illi licuit, sed impolita, atque imperfecta emittere cogebatur, tantique temporis angustiis premebatur, ut nec dictatos libros semel relegere posset, ut ipsemet testatur in Epistola ad Marcellinum. Quamobrem si quid veritati minus conforme eidem excidisset, jure merito excusandus esset. Illud verò maximè notandum venit, quòd Augustinus, cum universos à se elucubratos libros censoriâ gravitate recenseret, ac sæpè spongiam adhiberet, exarata adversus Pelagianos volumina recognoscens, duo hæc tantum corrigenda dixit, nempe quod lib. 5. contra Julianum Medici cujusdam veluti certum nomen posuisset, quod tamen penitus ignotum postea animadvertenter, quòdque in libro de naturâ, & gratiâ librum quendam Sixto Pontifici adscripserit Pelagii fidem secutus, qui tamen à Sixto Philosopho editus fuerat. Cæterum nullum illis in libris contra Pelagianos assertum dogma recantavit, nullam non dicam sententiam correxit, sed neque unum verbum veluti minus aptum erasit, sed universa ac singula senili auctoritate approbavit, ut vel hinc divina Gratia, quam triginta, & amplius libris contra Pelagianorum insultus acerrimè propugnavit, dignam veluti tanto labore vicem rependens, scribenti adfuisse credita sit, quòd procul à quolibet vel levissimo errore volumina illa cedro digna perscriberet. Et tamen hisce in libris Recentes Aristarchi tot excessus, tot antilogias, tot errores se deprehendisse jactant! Augustinus modestissimi vir ingenii suos hosce censes ita monitos vult in fine libri de Dono perseverantia: *Qui verò errare me existimant, etiam, atque etiam, quæ sunt dicta, considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non solum doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco, & hoc per Ecclesie Doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus venit, dignentur quænosse, quòd scribo.* Quæ verba cum legisset summus Ecclesiasticorum Annalium Scriptor, ac Vaticani

Senatus immortale decus Cæsar Baronius in hæc Augustiniani ingenii præconia erupit; Hæc ipsa digna quidem Sancti Augustini modestia, animique ejus admirabili cum summisione reverentia, ut planè nisi aliunde, ex his saltem intelligere valeas, afflatum illo divino spiritu illa scripsisse, cum non super quempiam alium, quàm super humilem, quietum, & trementem sermonem Dei divinum affore Numen, Deus per Prophetam fuerit contestatus. At Ecclesie Doctores tantum abest, ut vel unâ liturâ Sancti Augustini de divinâ gratiâ doctrinam emendarint, ut veluti è sacriori cortinâ datam eandem venerantes, contra Semipelagianos defenderint, ac Romana ipsa Ecclesia fidelibus sequendam proposuerit. Quòd si Recentiores tot retrò sæculorum approbatione repudiata, eos se Ecclesie Doctores dicant, quibus sua scripta examinanda permisit Augustinus, sæculi hujusce nostri tantorum Hominum nutritoris felicitati adgratulandum erit, si Augustini tamen errores melius persuadere poterunt, quàm hucusque fecere. At meliorem ipsius mentem, meliorem in Augustinum meum animum à Superis precor, ut prædicatio SUMMI IN ECCLESIA VIRI, (Prosperi verba sunt de antiquis Augustini calumniatoribus ad Rufinum scribentis) etiam ab his, à quibus ad præsens revellitur, adjuvetur.

CAPIT V.

Recentiores XXVII. Doctorum testimonia, nempe Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, aliorumque contra Sanctum Augustinum producant, quorum fides expenditur.

Recentiores nonnulli, ne Sancti Augustini auctoritatem alicubi deferentes, honorum omnium indignationem subirent, in id consilii descenderunt, Scriptorum omnium schedas sibi excutiendas esse, & si quid in illis minus honorifice de Augustino assertum sit, in publicum proferendum. Nam ubi eo in stadio aliorum vestigiis se inhæsisse monstraverint, omnem facti invidiam se declinatos existimant. Joannes Adamus, ac Franciscus Annatus id magno studio, ac ingenti labore executi sunt; ille 3. par. Calvini destructi cap. 7. p. 631. hic autem eo loci, ubi erga Augustinum debuerat esse reverentior. Etenim Annatus, ut Jansenistarum jactantiam, qui totum sibi Augustinum vindicabant, compeceret, satis justum volumen proculdit, quo Augustinum, contra Jansenium stare demonstrare conatus, unius Augustini verbis contra adversarium loquitur, & sicuti venæ toti corpori insperæ sunt, ita & illa toto eo opere oberrant, resonantque. Quòd verò Augustini se vindicem, ac propugnatorem ostenderet, hunc titulum libro dedit, AUGUSTINUS A BAIANIS VINDICATUS, Jansenistas Baianos ignominie causâ vocans, quòd Michaelis Baii proscriptas à Sede Apostolicâ theses defendere dicebantur. Quâ fide id septem prioribus libris præstiterit, viderint illi, contra quos ibi decertat, à quorum causâ procul sum. Octavus ejusdem voluminis liber totus contra Augustinum est, ut alterum sanè, atque omnino oppositum priori titulum poscere videatur. Siquidem postremo illo libro universa in Sanctum Augustinum diſteria hinc indè magnâ industriâ, ac labore collecta producit. Augustinum Judicem, Annate, appellas, ad ejus tribunal cum Jansenianis litigas, illius sententiæ stare te dicis, cum nil nobis de

aut